



INTROITUS,



Oni omnes, quotquot animi imperio magis quam corporis utuntur ministerio, finem suum identidem respiciunt, ac solennia ista verba intra prae cordia sua volvunt: *Quid ago?* ut ita cupiditas, qua ducuntur, respirare paululum possit, ipsique aliquid loci rationi & consilio concedant. Qui vero aliter vitam suam in-

stituunt, nec, quid agant, sollicite expendunt; eos semineces, imo vivos videntesque, attestante Sacra pariter ac profana Pagina, jure dixeris mortuos. Quid enim aliud sunt, quam corpora à sociâ anima deserta seu viva hominum cadavera? Cujusmodi sed maxime informia cadavera oculis tuis, B. L. subjicimus; Meretrices nempe quæstum corpore facientes. Præterquam enim, quod generosus ille inhabitator Spiritus gravissimo scelerum onere oppressus, imo plane videatur extinctus; illæ etiam totæ in libidinis effusæ, ad quid natæ sint, quidque agant, parum memores, nulla corporis sui, summique Opificis, qui non casu illud, sed miranda arte condidit, ratione habita nulla, caducum quidem istud tabernaculum, sive, ut id eleganter Gorgias olim Leontinus vocavit, σαπρὸν καὶ ῥέον οἰκίδιον, putrem & disfluentem domunculam, sed multarum tamen Divinarum actionum officinam nefario vitæ genere non modo turpiter corrumpunt; sed vanissimo quæstus studio penitus etiam destruunt ac evertunt. Verum præter ea pleraque ferme omnia cum cadaveribus communia habent meretrices. Uti enim aspectu plerumque terra sunt cadavera, eademque intolerabili odoris foeditate depulsi viatores, ha-

ver-